



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.  
LN bis 329 [40:1,400 4"]



Early European Books. Copyright © 2012 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.  
[N bis 329 [40.1, 400 4"]]




Early European Books. Copyright © 2012 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.  
LN bis 329 [40:1,400 4"]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of The Royal library, Copenhagen.  
LN bis 329 [40:1,400 4"]



Early European Books. Copyright © 2012 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.  
[N bis 329 [40:1-.400 4']]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.  
IN bis 329 [40:1,400 4°]

40 f.-400  
(LN bis 329)

DA BOX



RANZOVII  
INCLITI, ANTI-  
QVI, NATALIS, ACHAE-  
REDITARII RANZOVIORVM  
PRAEDIL, A GENEROSO, NOBIL : AC  
MAGNIFICO DOMINO, HENRICO RANZOVIO,  
PRODUCE CIMBRICO HAEREDE, *nunc recens*  
*instaurati, & in Arcis sublimitatem educti, breuis &*  
*graphica descriptio, facta & conse-*  
*crata eidem.*

ab

ALBERTO LOMEIERO LVBBECCENSE,  
SUBIUNCTAE SVNT IN-  
SCRIPTIONES EIVSDEM AR-  
CIS, CVM ALIIS NONNVLLIS  
LECTV NON INIVCVNDIS.

ISLEBII  
Typis Grosianis.

A. C. 1595. à primâ Oldenburgicorum Co-  
mitumi in Regis Danicæ electione CXLVII. ab vlti-  
mâ Dithmarsicæ subctione XXXVI.



# INCLITI ET ANTIQVI RANZOVI GRAPHICA DESCRIPTIO.

Dialogus.

Poëta & Musæ.

Se quid hoc dicam? tam densa surgit Eremo Poëta.  
Arx excelsa, suo nec dum circumdata vallo,  
Antiquum referens nomen, ceu prædia quondam  
Romano populo, Patribusq; antiqua fuerunt  
Gentibus insignita suis, & nomine Patrum.

Dic age Musæ mihi studio & molimine cuius  
Isthuc surgat opus? quis tanta impendia faxit,  
Et cur? nam vulgare nihil præferre videtur.

Non mihi difficile est, vates, narrare quod optas, Musæ.  
Enarranda modò Vigili tu mente notato,  
Prædia quæ celsam consurgere cernis in arcem,  
Antiqua ac opulenta satis jam tempore longos,  
Et quoq; Ranzoidum præclaro Clara fuerunt

Nomine, cuius & hinc Gentis succreuit Origo. Poëta:  
Quæ gens illa? quis est ortus? generisq; propago?  
Audio nam toto gentem hanc celebrarier Orbe.

Gens antiqua virum Cimbrorum vivit in oris Musæ.  
Semideam virtute vigens, Heroica gestans  
Pectora, consilijs, belloq; & pace togatam  
Felix atq; potens, & rebus dives optimis,  
Gentem Ranzovios dicunt cognomine Cimbri.  
Gentem hanc Majestas multum & clementia Regum  
Danorum evexit, dilexit, fovit & auxit,  
Egregias ob virtutes & robora mentis,

A 2

Queis.

INCLITI ET ANTIQ: RANTZ:

Quis præ Nobilibus reliquis effulget in armis.  
Cimbria nam quamvis quam plurima stemmata gignat  
Nobilium, rebus simul & virtute valentum,  
Non tamen accedunt tantæ ad virtutis honores,  
Quantos R A N Z O V I C AE nacta est profapia gentis.  
Hæc quandringentos arcem hanc posedit in annos,  
Non quod tum primum gentis vè vel arcis, origo  
Ceperit, alta loci nam Prædia nota fuerunt  
Tum quoq; R A N Z O V I C AE claro sub nomine gentis.  
Dum Comes Illustris Lissnici sanguinis Otto  
Hæc instaurando tunc Prædia nota nouauit,  
Nomine Ranzovio Patet hinc : aut ante fuisse,  
Aut surrexisse hanc Comitum de sanguine gentem.  
Atque ex hoc Patrias tenuisse hæc prædia fædes.  
Cujus & indicium, mutata Insignia stirpis  
Lissnicae monstrant, eadem quæ tota videntur,  
Nec diuersum aliquid Ranzois distat ab Armis.  
Sic huic aut è gente loco sunt nomina nata,  
Aut è sede Patrum gens hæc sua nomina traxit,  
Quando ob virtutes insignia fortis equestre s.  
Abstulit egregias, & Nobilitatis honores.  
Mente satis dextrâ hæc sententia nostra refutat  
Hos quoq; qui in dubium per se manifesta retorquent,  
Quiq; ex incertis longe incertissima claudunt,  
Lenta dedit quia Lentiaades, sua Saldria Saldros,  
Albenslebiades dedit, Albenslebia : Rhedos,  
Rhedia stirps, locus, arma, dupli quos arguit ortus.  
Sic generolorum Comitum sua nomina virtus,  
Et genus, antiquis è sedibus, Inclyta, traxit :  
Lippia Lippiades antiquos, Frisia Fritos  
Progenit, sic Ranzoidum consentit origo.  
Nam natale solum, Virtutis origine quondam

Stem:

## GRAPHICA DESCRIPT.

Stemmata Nobilium, post fortia facta, notabat.  
Aut locus, aut virtus, aut circumstantia facti  
Semideo Heroi dedit olim Nobile nomen,  
Aut auxit Heros Illustri nomine sedem.

Ergo à principio sedes gens obtinet illas  
Patrum forte datas hæredem, neve alienis  
Sors dedit has manibus, plures ut novimus ipsi  
Mutatas nummis, alienoue ære grauatas,  
Aut aliâ quâdam Patribus ratione relictas  
Amisisse suos Dominos, & nomina gentis  
Conseruasse tamen, quales Germania multas  
Continet, ut numerare libet, si forte licebit.  
Veltheimi, Hollades, Aldenses, Altiodesq;;  
Cassenbruchiaci, Quernheimi, Stochemiq;;  
Tum Steinbergiadum stirps & Monichausica pubes,  
Innumeriq; alij, quos huc adducere longum est,  
Qui non extremis sunt Nobilitatibus aucti.  
Omnes hi vel sponte suâ, vel Martis amore,  
Aut alijs etiam ducti rationibus, olim  
Liquerunt Patrias sedes, virtute receptis  
Alternis, vel Consilijs, vel Martis honore,  
Vel nummis etiam, fatis melioribus vñi,  
Nacti sunt meliora suorum prædia patrum,  
De quibus insigne est: Veteres migrare Colonoss;  
Multi etiam retinent Patrum virtute, paratas  
Antiquas Sedes, hæredum nomine, quondam,  
Vnde genus ductum est & Nobilitatis origo,  
Ut sunt: Lenteades, Rhedenfes, Benniaciq;  
Bolmerij, VVeBerlingi, stirps Saldrica, nec non  
De qua nunc sermo est Gens RANZOVIANA; parentum  
Omnes antiqua qui Nobilitate resfulgent.

A. 3

Hi

INCLITI. ET ANTIQ. RANZ.

Hi patrias sedes & Nobile nomen adepti  
Numinis auspicio seruant, meliora parantes  
Marte suo, patrumq; decus virtute tuentur.  
RANZOVIAS igitur sedes quia sanguine cretus  
RANZOVIO tenuit: Cur non & fortiter ante  
Ornavit patriam, de qua sibi fluxit Origo,  
Quod tot post annos fit nunc & tempore sero?  
An ex antiquis quisquam jam patribus ortus  
Virtute excellit, qui talia suscipit Heros?

Musa.

Nimirum sentis quod res est ipsa, frequenter  
Non eadem fors est, virtus non omnibus vna,  
Numina, mortali nec cuilibet omnia donant.  
Sepe suos Atavos quisquam virtutis honore  
Vicit, saepè Patrum quisquam deformat honores,  
Lucem addit luci hic, infert luci ille tenebras.  
Stirpis RANZOVIICAE jam verè Nobilis Heros  
Forti patre satus multos lux fulsit in annos,  
Et Patris & Nati virtus super æthera nota est.  
Egregiā genitor belli virtute Ioannes  
RANZOVIUS, vera virtute auratus Equestri,  
Qui decus excellens & Equestria Cingula bello  
Emeruit, Solymam cum pugnaretur ad urbem,  
Regibus ille tribus forti Diademata dextrâ,  
Danorum Regni, solito de more Senator,  
Imposuit, gesit seseq; fideliter Heros.  
Marte fero domuit Dithmarsos mente feroce,  
Principibusq; suis infestâ mente rebelles,  
Hosq; suis Dominis sua sub juga Marte coēgit.  
Nec minus ille tamen mitis quam fortis & audax.  
Res manifesta patet: novit quia parcere victis.  
Tu, devicta dabis facti Dithmarsia testem,

Quæ

GRAPHIC. DESCRIPT.

Quæ timidiſ manib⁹ tremebundas abiſcis hastas.  
Hoc patre RANZOIDES prognatus, ſplendidus Heros,  
Clar⁹ Semideā virtute, H E N R I C V S, & amplis  
Divitijs, non tantum auro nec veste superbā,  
Non modō diues agri, poſitiq; in fænore nummis,  
Nec modo turritis domib⁹, valloq; tremendis :  
Illis ſed potius rebus quib⁹ iſta parantur.  
Ornat enim doctrina virum, & prudentia rerum.  
Maxima, confilio ſapienti pollet & uſu  
Longinquo, nec non forti virtute, juventus  
Dum ſtetit aucta viro, non facta minora parente  
Edidit, affirmat ſtrages Dithmarsica verum,  
Quā factā, æqualem laudem fortitūr in armis,  
Fortis eques, partesq; datas cum patre tuetur.  
Nec modo : Devictas terras, armisq; ſubactas  
Missa forte, dehinc, & poſto limite certo,  
Regi, principibusq; ſuis diuifit habendas,  
Quam grauiſ eloquio fuerit, quam voce potenti,  
Ac fidus tandem pacis quam ſuasor & autor,  
Hoc res ipſa docet, totum res nota per orbem.  
Dania cum Sueciſ jamdudum cumq; Poloniſ,  
Ardua bella diu, multo cum ſanguine geffit,  
Strage utrinq; datā toties & cæde cruentā,  
Vndiq; direptis agris, & plebe peremtā.  
Quo non exigua Lubecca ampliſſima cladē  
Accepit bello, nec pax ſperanda fuſlet  
Ramoſ pacificæ niſi prætendifſet olivæ,  
Orator ſummus, Friderici Regis amicus  
Ranzoides, partes qui conditionib⁹ æquis  
( Regis iuſſa ſui ) peramicā voce diremit.  
Nota loquuntur ut hæc pacis trans acta Stetini.  
Heros RANZOIVS ſic fortis Marte togāq;.

Fortia

INCLIT. ET ANTIQ. RANZ.

Fortia semper amant & candida pectora pacem,  
Et nec bella gerunt fortis nisi pacis amore,  
Armaq; respiciunt nisi sint præpostera pacem.  
Ecce hic, R A N Z O I D E S Musarum summus amicus,  
Ipseq; quas juvenis coluit, quas & fovet altor  
Iam summo senio, sed viribus integer æui  
Omnibus, hanc arcem Majorum instaurat amore.

Poëta.

Hæresné ergo loci semper fuit ? annè paravit  
Tandem aliunde sibi cognato a sanguinis arcem ?

Musa.

A Ere? sibi hære patrum conficit prædia magno  
Majoriq;, quidem quam res, & carius emit,  
Cum queat hic aliquis vix esse propinquior hæres.

Poëta.

A Erezet tam caro ? consecutus jamq; senecta ?  
Propemodumq; hæres ? quid causæ ? suggere Musa.

Musa.

Causa duplex mihi visa fuit condigna relatu,  
Quo virtus, pietasq; animi manifesta nitescant,  
Causa prior : pietas majorum feruet amore,  
Neue alienentur jam conseruata tot annis,  
Majorum titulo & generoso nomine patrum,  
Atq; ita legitimis motis hæredibus, ætas  
Sedibus his tandem patrijs oblivia gignat,  
Ac dubitet quisnam, fueritnè hæc Patria sedes  
RANZOVIIS vnquam, cuius possesio, nulla est ?  
Et sic in dubium gentis moveatur Origo.  
Quod multis alijs, Vates, te judice, factum  
Contigit, indigitat velut experientia vulgo.  
Scilicet hoc pietas proavis bene grata cavebat,  
Hic ærinè putas parcendum ? & quid grane præstat  
Neglitit vt patrum vestigia fortia virtus,  
Degenerisq; patrum partos contemnis honores ?  
Et genus, & proavos, & quæ non fecimus ipsi

Vix

GRAPHIC. DESCRIPT.

Vix ea nostra voco : Verum esto : Sic tamen esto  
Ad mala declivis, spernat : Laus namq; parentum  
Laus nostra est, laudis modo virtus æmula, Patrum  
Excitet ad laudem, calcarq; Nepotibus, addat.  
Ergo qui patriam, patres, Diuosq; penates  
Suspicit, hic vero pietatis amore movetur  
Hæc pietate, sua merito de gente fauorem,  
RANZOIDEN meruisse decet, qui patria curat  
Numina, qui patrium, qui posteritatis honores.  
Hæc potior causa est, quâ motus amata redemit  
Prædia RANZOIDES, Patriæ ne fama periret.  
Altera causa subit : nimirum dulce levamen  
Iam canescens senij, requiemq; petentis.  
Quatuor atq; decem vitæ quia lustra peregit  
A puero in studijs Musarum adoleuit honestis,  
Artibus addictus quas libera cura gubernat,  
Quas etiam in vitâ multum jam grandis amauit,  
Quas & amore senex jam nunc amplectitur omni,  
Musarum columen : quas ipse ornavit & auxit  
Egregijs studijs, id quod monumenta loquuntur  
Plurima librorum, vi militiæq; domiq;  
Strenuus, & Regum non parua negotia tractans,  
Ardua virtutis, generosaq; culmina scandens  
Producis officium & sic Regia munera gesit  
Nullo ut justitiæ violaret tempore Leges,  
Regibus ergo suis fuit omnii tempore charus,  
In primis summus Frederici Regis amicus  
Exitit : Ergo virum præcioso munere regni  
Ordine donavit Rex hic, Elephantis honore  
Ex auro facti, cui bellica machina turris  
Desuper imposta est, quo Danicus ordo superbit,

B

In

INCLIT. ET ANTIQ. RANZ.

In vita his actis senij nunc ocia quærit  
Ut recreet fessam ob tractata negotia mentem,  
Quam toties Diui recrearunt Numinia Phœbi.  
At nunc esse potest quæ delectatio major  
Quæ juuet & recreet longæuæ fata senectæ,  
Quam patrias sedes cultu exornare venusto ,  
Vnde Ataui patres, vnde ipse è viscere patrum  
Exortus, fatis superas & vesceris aurâ?  
Dulcius ecquid erit vitæ, quam ætate senili  
Optima majorum cognoscere gesta parentum,  
Ipseq; quid quondam fluxo bene gesseris æuo?  
Quod perpendentem loca patria ritè monebunt.  
Hic etiam patriæ meditatio sancta futuræ  
Sese offerre potest, nam non habitacula tenemus,  
Hic mansura diu, superum contendimus aulam,  
Cœlicolumq; domos, sedes ubi fata beatas ,  
Felicitis patriæ mansuraq; gaudia monstrant.  
Non Ataui, nec Aui, nulli longo ordine patres  
Hic vixere diu : Breuis est angustia vitæ.  
Centum anni vita est : quid restat? puluis & umbra,  
Naſcimur & morimur, moriendo vita redibit  
Cœlica, terrestris viræ quâ terminus hæret.  
Symbola RANZOVICAE veluti virtutis adumbrant.  
Hæc natale solum nos admonet & jubet uti,  
Temporis usurâ, donec tollamur Olympo .  
RANZOIDES quod & ipse animis considerat altis.  
Inscindi saxis dum sensa profunda laborat ,  
Menti insculpta suæ dubio sine gnauiter effert,  
Ad verbum signata ferè formalibus istis:  
Hæc domus est domum forsan postrema mearum ,  
Quando meæ vitæ jam meta propinquior instat.

Hoc

GRAPHICA DESCRIPT.

Hoc opus est operum postremum fortè meorum,  
Sentio dum gelidam proprius succedere mortem.  
Quare trado manum, mortalia cuncta valete,  
AEdificata mihi viuo domus extat Olympo.  
Posteritatis amore facit, quicquid facit, ipse  
Cælica suspiciens animis, terrestria spernens,  
Hoc animo Heroes & fortia pectora, multi  
Dilexere suam patriam, Diuosq; penates  
Ac patrum Natale solum pietatis amantes.

Ecce Ithacus rerum per tanta pericula vectus  
Qui mare, qui terras, post bella exhausta, peragrans  
Totus oberrabat, Circæo illectus amore  
Suavia jam sensit, Diuino & amore Calypsus;  
Terris, quæ rerum felicia quæq; ferebant:  
Non tamen ille minus patriæ flagrabat amore,  
Atq; salebrosas Ithacæ repedabat ad oras,  
Tamq; gravis Senij patriâ tellure levamen  
Quærebat, patrios vt saltē cernere fumos  
De longè cuperet: tantum natale juvabit  
Adspexisse solum, patrijs vt redditus oris  
Quilibet, extremo facile juvenesceret ævo.

Sic patrios rivos, & Tuscula rura colebat  
Tullius ille senex, qui maxima gesserat olim,  
Hic requiem vitæ quærebat, & ocia mentis,  
Tunc quoq; grata viro sua quandò negotia gessit,  
Ocia namq; colens, nonnulla negotia mente  
Ardua voluebat, velut ocia danda labori,  
Id quod fine suo problemata Tuscula monstrant.

Et quid Trojogenæ? jam tum janctum excisa jacerent  
Pergama, & exilijs erraret Troica pubes.

B 2

Nonne

INCLITI. ET ANTIQ. RANZ.

Nonne suam Trōjam, Xantum, Simoēnta, penates,  
Frustra fingebat, procul hinc & nomine fallo,  
Tam dulcis patriæ memores memoresq; parentum.

Illa virum pietas, & egestas nulla coēgit  
AEre parare sibi tam prædia cara parentum,  
Nam sunt præterea tot prædia clara, tot arces,  
Quot vitæ dubiae, mediocris postulat visus.  
Est Bredeburgum, quo non arx fortior vlla,  
Occurrunt in quâ grata ac p̄ilcerima visu,  
In qua jucundam posset traducere vitam,  
Ni majus pietas Diuina leuamen haberet.  
Est Dracoburgum charæ dos conjugis olim,  
Est de Ranzovijs, Ranzovisholmia dicta,  
Est VV andesburgum, Thusebeccum, Nutzoviumq;,  
Est & Grunovium, Melbēccum, & Redingstorpum,  
VVellingsbuttellum : queis tandem nomine clarum  
R A N Z O V I V M, accēsſit, Radix & gloria patrum,  
Omnia quæ superat celebrata scientia rerum,  
Affinisq; Dijs superis Heroica virtus.  
Nam pietas, diuis gratissima, limina transit  
Cælica, conseruat virtus post funera vitam  
Inclyta : Quid multis ? paucis, en, plurima dicam:  
Vivitur ingenio, succumbunt cætera morti.

Poēta.

Ergo quid'egregium ? quid habet mirabile visu  
R A N Z O V I V M vetus hoc ? quo delectare senectam  
Possit, & a grauibus libertam reddere curis ?

Musa.

Maxima commoditas antiqua hæc prædia adornat  
Frondentes siluas, resonantes oscine lato  
Tempora verna vident: Cerecem sed colligit æstas  
Agris fertilibus, qui fructibus horrea complent.  
Glandiferæ quercus, nux fagea, poma, nucesq;

Autum-

GRAPHICA DESCRIPT.

Autumnūm exhilarant, de longe vīna feruntur,  
Composcit flammis hyemem sed plurimus ignis,  
Innumeræ pecudes, distentoq; vbere vaccæ,  
Vespere quoq; domum redeunt, armentaq; multa.  
Maxima turba suum siluis pascuntur & aruiis.  
Circum prata jacent, stagnantia flumina circum  
Pisce oppleta suo, nec non & amæna vireta,  
Servitio septem, & pagos hæc prædia cogunt.  
Venandi studijs, quèis delectatur & ardet  
Inclyta nobilitas, naturâq; appetit illa,  
**R A N Z O V I V M** circa siluae, montesq; per ampli,  
Climata lata patent : indagine cingere saltus ,  
Retia firma, plagas, tenebrosis tendere lucis,  
Cornibus increpitare feras, terrereq; raucis ,  
Acres clamorâ voce instigare molosso  
Aut optare etiam lato venabula ferro,  
Non infrugiferum fuerit ? nam multa ferarum  
Corpora felici, capiuntur forte, Dianâ .  
Sævus aper, Caprei celeres, cerviq; fugaces,  
Innocui lepores, atq; astu prædicta vulpes,  
Immanesq; lupi, deerunt hic tempore nullo .  
Alitibus frustra hic autumni tempore non est  
Retibus infidias stuere, aut has fallere visco,  
Agmina perdicum simulata cogere caudâ,  
Pedicas gruibus, fringillis ponere capsas,  
Aut etiam jaculis celeratis figere cygnos,  
Hæc sunt nobilibus fortis concessa voluptas  
Nobile R A N Z O V I V M quam suppeditabat abunde,  
His Latona locis, his gaudeat ipsa Diana,  
His venatrices Divæ sua retia tendant.

Clari RANZOVI melius quo limina surgant,  
Structuræ inseruit laterum domus ad sita coætrix ,

INCLIT. ET ANTIQ. RANZ.

Illum RANZOIDES fieri quam fecit in usum.  
Hydromylas geminas ante ipsam conspicis arcem.  
Altera, quæ Cererem saxo confringit adactam,  
Illa suos redditus ex rusticitate reportat,  
Procurans arcis, gratis sua farra propinquæ.  
Alterata sed Cuprum quæ follibus urget & igni,  
Despumans scoreas mollitq; & fusile reddit,  
Postea malleolis & cogit & explicat illud  
In latus tabulas, unde ænea vasa deinceps,  
Artificis manibus fiunt, fabrefacta per artem.  
RANZO VIANA molam conjunx procurat utramq;  
Halliadum gentis CHRISTINA, domestica conjunx,  
Nobilitate RO SAE & multâ virtute nitescens,  
Gnara rei, si, siqua rei sit fæmina gnara.  
Post arcem existit tumulus circumfluus undis.  
In quo continua domus est ex abiete, saxis  
Absq; ulla constructa, arx parua, ex abiete tota  
Condita, tum viridi tota exhilarata colore,  
Ad senij directa modum, non pessimus humor  
Gignitur hic membris, somnum nihil impedit isthic,  
Corporis humores siccantq; juuantq; calore.  
Hæc tabulata domus, senij quo membra leuantur,  
Omnigenis herbis & plantis consitus hortus,  
Semper odore bono fragrans, circumiacet arcem:  
Bombit Onocrotalus vicinis carmina stagnis  
Qualia scit, noctu clamosum rana coaxat,  
Isthæc cuncta juuant æstiuo tempore somnum,  
Nec graue sit, philomela melos si comminus addat,  
Paruam hanc Ranzoides, produx prius, incolit arcem,  
Naturæ ductus bonitate & numine dextro.  
Pons prima ex arce hanc paruam transportat in arcem.

Pontis

GRAPHIC. DE SCRIPT.

Pontis ad ingressum scena est extructa quaternis  
Postibus erectis, & curua fornice tecta,  
Latum quadratis planata est area saxis:  
E saxis itidem sunt facta sedilia circum,  
Auris & claro tentoria peruia cœlo:  
Inclytus hic prodix Solis defensus ab æstu,  
Tectus & à pluuijs sedet, obseruatq; suorum  
Impositas operas, quo quis studioq; fideq;  
Officium faciat, quis torpor tardet inertes,  
Castigatq; moras, rebus dāns calcar agendis,  
Ad latus agglomerant fidi de more ministri  
Rite sui Domini quibus est custodia curæ.  
Huc vocat, est si cui verbis mandata daturus,  
Eactitat hæc eadem Christina domestica conjunx,  
Quando suas famulas urgetq; regitq; jubendo,  
**HEROINA** Rosa generosa & nobilis ortu.

Verum externa loci sunt hæc ornamima tantum,  
Nunc interna domus quæ sint jucunda notabis,  
Quid queat inuentrix miranda industria rerum  
**RANZ OVII** Herois? quanti monumenta virorum?  
Doctorum faciat, quæ mundo erepta reducit?  
Quanta seni pietas? & quæ veneratio Diuū?  
Patria præcelsam confurgere jussit in arcem  
Prædia, quam struxit concinnis vndiq; muris,  
Et sua cuiq; intus domui conclauiā fecit,  
Vsibus humanis aptata, & congrua rebus  
Cuiq; suis, celsis hic postibus alta theatra  
Saxea, quēis gradibus consurgunt limina latum  
Vestibulum ante fores, scenæ quod præminet vmbra  
Mirando exornant latus hæc vtrumq; decoro,  
Furmantur bis sex ac sustentata cnlumnis

Rupibus.

INCLITI ET ANTIQ. RANTZ.

Rupibus excisis, ingenti robore factis  
Artificum manibus, pulcroq; labore politis,  
Sex, latus ad dextrum, sex sunt latus adq; sinistrum,  
Quarum quæq; suos nodos obducitur auro,  
Intra tecta domus conclavia ad alta theatri  
Verte oculos: hic cernere erunt quam plurima visu  
Miranda & jucunda simul, tum Numine plena,

Intus RANZOVICAE deducta est linea stirpis  
Ex multis Atavis, primaq; ab origine gentis  
Huiusq; in longos post deducenda Nepotes,  
Gentis habet seriem domus hæc, quæ Gentis origo est.

Ad vivum cernas, licet, hic in Imagine viuâ  
Ipsum R A N Z O I D E N, quem vix tibi reddet Imago,  
Antiquos Reges, virtutum laude Monarchs,  
Tum mundo invisos infestâ mente Tyrannos :  
Hic ebur, hic lapides preciosos, munere missos  
Finibus a longis : Cano mensas Alabastro,  
Queis, velut in speculo, rerum se reddit imago,  
Dux Florentinus RANZOO has munera misit.  
De nigro est itidem mensa hic excisa Alabastro,  
Inclyta Danorum peperit quam Schona, sed illam  
Regius e Danis equitum, de more, Magister  
Haccius Hölgerus pignus transmisit amoris.  
Huc quasdam, misit preciosas Gottia mensas,  
Sunt quoq; quas pariter proprius dedit adsita tellus,  
Quam Segeberga tenet Calcis celebrata fodina,  
Videris hic factas precioso marmore mensas,  
Quas positas vel mox monstrabit debitus ordo.  
Hic aliiquid visu lepidum mirabere vates,  
Misit in Italianam preciosæ munera pellis

Exu -

GRAPHIC. DESCRIPT.

Exuvias Lyncis, preciosaq; terga Zobelæ.  
Causis non minimis, nec iniquo tramite ductus  
RANZOIDES, cepit quæ dona Minutius ingens,  
Quem Romana gravi sedes evexit honore.  
Qui magni faciens accepta hæc munera, grata  
Mente recompensans, terræ preciosa remisit  
Vasa, ex argillâ figuli quæ industria finxit,  
Ingeniosa, rotæ mirandaq; arte parauit,  
Quæq; Lytargirij fulgenti tincta colore  
Naturam ad speculi pellucida redditidit extrâ,  
Vix pellucidius vitrum, vix mundius ullum,  
Pulsa ædunt vocem campanæ arisue sonori.  
Depicta in medio sunt Arma paropsidis orbe  
Gentis R A N Z O V I C AE belloq; & pace probata,  
Isthæc vosa solet mensis adhibere secundis  
R A N Z O I D E S laute cum postmensalia ponit.  
Eiusdem argillæ preciosè facta Salina  
Orbe saporiferum degustum porrigit escis.  
Malluvium eiusdem massæ, quo munda lauandis  
Lympha datur manibus ; quorum mirabile visu  
Lumina quodq; juuat, mentemq; & sensa tuentis.  
Artibus, inventisq; valet Germania quamvis  
Humanosq; licet quam plurima fингit in usus,  
His tamen æternum vix unquam æqualia fингet.  
Aurum atq; argentum, preciosaq; plurima tellus  
Gignit, & humanos hæc olim prodidit artus.  
Nil solidum, fragile est terræ quod viscera gignunt.  
Argilla, Illustris, fragili quid fингitur, Heros ?  
Heorum brevis est & vita caduca virorum,  
Vitæ, virtutis, mortis, vas fictile schema est.  
Arx abiegnæ tenet vasa hæc & condita seruat,  
R A N Z O V I I q; Senis placitum depromit ad usum.

C

Index

INCLITI ET ANTIQ. RANTZ.

Index horarum, Campanula tempora signans  
Arcis R A N Z O V I I summo de culmine penderet,  
Subter tecta domus fons est quo profluit vnda,  
Dulcis & aucta satis, Zythoq; ciboq; coquendis,  
Mirando studio fundo deductus ab imo,  
Arcis multiplicem semper qui cedit in usum.  
R A N Z O V I I non ante habitum quem industria fecit.

In medio certo dimensa palatia circo  
Aeris & caeli, clariq; capacia Solis.  
Hoc circo visu quae sint jucunda notabis.  
Ecce ingens ex are Draco, visuq; tremendus.  
Hispidus erectas alas, caudamq; retortus,  
Totus dira fauce minax, atq; vngue rapaci,  
Discolor, aurato, viridiq; coloribus, artus,  
Subfixus tecto, velut arte, volatilis hæret.  
Hic totis tectis pluuiiales excipit vndas  
Imbribus illatas, mirus datus arte canalis.  
Hunc infra extat humi vivo, non labile, Saxon,  
Incisum sacro ceu Baptisterion visu,  
Omnino simili formâ, quale exstitit illud,  
Quod Constantinus Romæ cognomine Magnus  
Curauit fieri, quod adhuc dat Roma videndum.  
Desuper huc Draco collectas fauce evomit vndas.  
Aspicit hunc oculis mirum quicunq; Draconem,  
Expleri mentem nequit, ardescitq; tuendo  
Ranzovium hoc mirum & multis memorabile seruat.  
Hic ad utrumq; latus saxis incisa videre  
Sensibus eximijs sunt docta noemata vatis  
R A N Z O I D AE, exstructam Diuis queis consecrat arcem,  
Atq; operis finem verbis exponit apertis,  
Quod non infestos extuxerit illud in hostes,  
Sed quoscunq; bonos placide excepturus amicos,

Quodq;

GRAPHIC. DESCRIPT.

Quodq; futura Sacris Arx sit domus hospita Musis  
RANZOIDES velut hæc valvis inscripta profatur :  
Huc quicunq; venis, faustè & benè Veneris hospes,  
Addictus Musis, Louis & virtutis amator,  
Comiter excipient te limina nostra modestum.  
En vero invitat tantus quām humaniter hospes  
Hospitio, quoscunq; bonos tractare paratus.  
Iuppiter ô venias huc & tu Phæbus Apollo,  
Huc Nymphæ, blandæ charites, Sacræq; sorores,  
Hic Heliconiadum Musarum commoda sedes,  
Hospitiumq; sacrum, sedes tribuenda Camænis.  
O venerande senex, ô si juuenilior ætas  
Illo flore tibi, leporis quo damna gemebas,  
Quo de corporeâ præcepta salute docebas,  
Nempe tuas Musas domus hæc peramæna juvaret.

Ecce hanc Ranzoides proavis, patribusq; sepultis,  
Sanguinis ipse sui non immemor atq; parentum,  
Condidit hanc, longis post seq; Nepotibus arcem  
Majorum ut cupiant obliuia nulla minores,

Ergone hic pietas & Divi Numinis omnis  
Cultus abest, nulla est superum reverentia Diuūm  
O Dea, quam ne sint hæc frivola cuncta timendum.

Non, vates : Divis sed honos hic summus habetur,  
Ecce intra muros, intra conclave phanum  
Trino vni Domino sacrum tibi Christe facellum,  
Christe tibi, verboq; tuo, tibi Christe sacratum :  
Arcis RANZOVICAE collecta Ecclesia votis  
Conueniet sanctis hic, & pia carmina dicet  
Christo & dijs superis, capietq; hic verba salutis,

C 2.

Ac

INCLITI ET ANTIQ: RANTZ.

Ac cænæ peraget Mysteria sancta sacratae.  
Vtibus his sacris preciosam destinat aram  
Optimus è puro cæsam, produx Alabastro.  
En, nullus spectet Diuos, qui cultus honores  
Defuerit, fiant modo cuncta hæc mente fideli.

Hic quoq; signatur res sancta ac digna relatu,  
Limine mox primo, thalamus, quo nascimur omnes  
Pingitur, & sacro & concinno carmine vatum.  
Relligiosa dehinc discessus mentio nostri  
Hic inculcatur, pietatis Imagine facta,  
CHRISTIA DAE primum nam sancti Regis imago,  
Tertius addictus fuerat qui hoc nomine sceptris,  
Ut fuit in punto mortis describitur illuc.  
Nec procul hinc chari Genitoris Imago Ioannis  
RANZO V II, qualis vitam expiravit ad astra  
Conspicitur: pietas ò grata ac debita Divis.  
Qui fuit in vivos, hunc nec mors tollit amorem.  
Inclyta semideos mirare ò Cimbria motus,

Sceptrigeri Reges rerum quos edocet usus  
Fercula rara fidem, vobis adsciscite tales  
Heroas & pietate graves, virtutibus amplos,  
Qui sint humanis induiti moribus, altæ,  
Nec minus in factis designent robora mentis,  
Qui vos mirentur vera pietate fideq;  
Qui majestates vestras reverenter honorent,  
Regia consilijs qui sceptra fidelibus ornent,  
Hæc pietas, hæc prisca fides, hinc robora, Regnis,  
Quæ toties vertit dolus & fraus lubrica fundo.

Inlyte Mæcenas Atavis Generose velustis,  
Quem sacre summâ dignantur laude Camænæ,

Quem

GRAPHICA DESCRIPT.

Quem non natales tantum neq; sanguinis ortus  
Nobilitant, inter tam fortia pectora Cimbros :  
Quām tua te virtus, mens nobilis inclyta, factis,  
Extollit, tecumq; tuā, tua laude potitur  
Cimbria, longinquis Clarissima Cimbria terris :  
Laudibus armigeras nam simens tollere gentes,  
Laudibus extollas præstanti robore Cimbros ,  
Matres esse Deas quæ talia robora gignunt  
Crediderim facile, tam Martis in arma feruntur,  
Tam sunt Semidei noti virtutibus orbi :  
Cimbria quando igitur, quando se Dania jaſtat  
Nomine R A N Z O V I O : Cur non amplissima sedes  
Ob gentes celebrata suas, ornata nitescat ?  
Cur non quisq; suos dignetur honore penates,  
Auspicijs quorum gentis prosapia crevit ?  
Macte igitur virtute senex, venerande, bonorum  
Vota tibi faveant, pereat quem livor inertis,  
Pectore torquet , agens telis furialibus Orci.

En vates tibi Ranzouicæ descriptio sedis  
Commoditasq; patet ; Causa & cur surgat in auram  
Tu pōſſessorem Generosi nominis amplum,  
Tu quoq; legitimos hæredes, omne fausto  
Proſequitor votis, & proſpera carmine dicas.

Dulce, ſolum patriæ, dulce eſt meminiffe parentum, Poēta.  
Corporis vnde artus vitæq; hanc traxeris auram,  
Nemoq; tam clarus, nemo tam inglorius extat  
Quem patriæ non tangat amor nec sanguinis ortus,  
Si non mentis inops, recta ratione regatur.  
Etſi etenim forti quævis fit patria tellus ,  
Et locus existat virtuti habitabilis omnis,

INCLIT. ET ANTIQ. RANZ.

Lustrat enim terras & clima tata peragrat.  
Ex torriq; solo manet imperterrita virtus:  
Patria terra tam en, quâ nati, quâq; nutriti  
Qua dulces Atavos, & Auos, charosq; parentes  
Novimus exortos præcunctis afficit oris,  
Et desiderio, naturaliq; movemur  
Affectu, patrias & amare & visere terras.  
Grande nefas olim fuit extirpare penates  
Moliriue malum, bellis aut tendere contras  
Pro patria pugnare suâ censebat honestum  
Quælibet hoc ætas & conseruare penates  
Nuñ patriam spreuisse suam, delere penates  
Prodere nunc patres, sanctas corrumpere leges,  
Corpore de patrio nunc conuictare rapinas  
Dicitur hoc laudi: Corrupta ò moribus ætas.  
Rectius ò quante, quanto diuinius Heros  
RANZOIDES animi sincero feruet amore  
In patriam, Cimbrosq; suos, Diuosq; penates.

Dent tibi RANZOIDE, dent Numinia sancta selectam  
Longævam & placidam, qui tam pietate moveris  
In diuos superios, patriam, dulcesq; parentes,  
Dent vitam hic placidam, post hac sine fine beatam:  
Esto RANZOIVM: sicut posteritatis honores  
RANZOVIC AE, donec non corruit orbis & æther.  
Confirmant, faciantq; ratum pia Numinia votum  
Iuppiter, & summo sincerus ab æther e Phæbus.

IN

**INSCRIPTIONES ARCIS**  
**RANZOVV SACELLI ET HORTORVM EIVS-**  
**DEM, INDVSTRIA IPSIVS NOBILISSIMI AC MAGNIFICI DO-**  
mini HENRICI RANZOVII, Producis Cimbrici, factæ, &  
in faxis, ualuis & postibus ædificiorum visendæ.

De Castro Ranzovv.

**C**astrum Ranzow emit Henricus Ranzouius, pro filio suo Caio  
ab Hansio Ranzorio gentili suo, quinquaginta septem millibus tha-  
lerorum: & quanquam nimis carè emptum est, tamen id castrum,  
quod cum stirpe Ranzouianâ commune nomen habet, & per aliquot cen-  
tum annos à Ranzovijs inhabitatum fuit, extra familiam suam, alienari  
noluit, Secundum Tiraquellum, qui inquit. Quod homines nobiles &  
in dignitate constituti anxii & admodum solliciti sunt, ne principalis eorum  
domus extra suam familiam alienetur. Faxit Deus, ut tam ipse, quam  
ipsius liberi & nepotes, hac & reliquis omnibus diutissime utantur &  
fruantur.

Ranzouium castrum dictum de nomine Ranzow,  
Incoluit gens hæc Ranzoviana diu.  
Hoc extra stirpem Dominum diuendere claram:  
Noluit Henricus posteritatis amans.  
Propterea pretio multo nimis ipsem et emit,  
Tradidit & gnato, motus amore, suo.  
Omnipotens faxit, stirps ut Ranzouia sedes:  
Incolat has placide, possideatq; diu.

A L I V D.

**E**t nunc Henricus castrum Ranzouius emit,  
Quod stirpis claro nomine nomen habet:

Sic:

## ARCIS RANZOVV. INSCRIPTIONES.

Sic est, nam nuper Ranzovio id emit ab Hanso,  
Ut nato ferret commoda grata suo.  
Cui nato? Caio magnis id sumptibus emit,  
Qui patre filius est dignus avoq; nepos.  
At, mihi dic, queso, cur sumptus ficerit istos?  
Emptum nam iusto carius esse liquet?  
Quod commune tenet castrum cum stemmate nomen,  
Hoc alienari noluit ipse suis.  
Tu fac summe Deus, pro voto ut sede fruantur  
Hac, reliquisq; pater, filius atq; nepos.

## ALIVD.

**Q**uisquis es, parum subsiste, & quod scriptum  
est perlege, ubi perlegeris, perpende.  
Ad presens castrum emendum duplex me mouit ratio,  
Et quod commune cum stirpe Ranzovianâ nomen haberet,  
Et quod per aliquot centum annos à Ranzovijs inhabita-  
tum esset.  
An non bene de familiâ merui?  
Optime, viator optime.  
Homines enim nobiles, & in dignitate consituti admodum affixi  
& solliciti sunt, ne principalis eorum domus extra suam familiam  
alienetur.  
Ad re edificandum verò & exornandum castrum hoc, longo  
gumillud tempus, quo non ero, magis me mouit, quam exigua  
um vita mea.  
An non bene de familiâ merui?  
Optime, viator optime.  
Mihi struxerunt alij, grandæus ego gratae posteritati.  
Verum eum placere cunctis operosum,  
Adsit quisquis amicus: absit Comus, absit Momus:  
Absit Ate, à te, à me: nobiscum Litis,  
His abi, & sis, sis; & nos, nos.

Id est: Abliem-  
dum adit bonum  
Sis id est, sivis,  
sis tuus.  
Et nos) linquæ  
nos.

ALIVD

ARCIS RANZOVV INSCRIPTIONES.

A L I V D.

**H**ec domus est domum forsan postrema mearum,  
Instat enim vitæ iam propè meta meæ.  
Hoc opus est operum postremum forte' meorum,  
Sentio enim gelidam non procul esse necem.  
**Q**uare trado manum, mortalia cuncta valete,  
Mi domus in celso est ædificanda polo.

A L I V D.

**S**i domus hæc cuiquam non bellè exstructa uidetur,  
Hanc linquens nobis corrigat ipse suam.

A L I V D.

**Q**ui nihil ædificas, aliena quid improbe carpis?  
Hæc dannare caue, uel meliora strue.

A L I V D.

**S**i domus est elegans, aut si quâ parte uidetur,  
Invenisse virum gaudeo, cui placeat.

A L I V D.

**S**i DEVS omnipotens nostram non protegit arcem,  
Nil hominum vires excubæq; valent.

HENRICVS RANZOVIVS  
AD HOSPITES.

**H**uc quicunq; venis, faustè & benè veneris hospes,  
Comiter in nostrâ suscipiere domo.

A L I V D.

**H**ospes amice veni, tecto succedito letus,  
Cuncta patent, animus sed magis ipse patet.

D

ALIVD.

## ARCIS RANZOVV INSCRIPTIONES.

A L I V D.

**A**V: lingua, aut manibus poenas est ille daturus,  
Audeat hanc quisquis contemnerare domum.

A L I V D.

**O**Mnipotens faxit, stirps ut Ranzouia sedes  
Incolat has placide possebatq; diu.

## INSCRIPTIO SACELLI ARCIS EIVSDEM.

**Q**Uod decet atq; pium est, hoc arcis rite facellum,  
Nobile coniunxit, Nobilis Author, opus.  
Scilicet Henricus renouans RANZOVIUS arcem.  
Hanc natis, sacrum condidit hoc superus.

## INSCRIPTIONES CRVCIS IN MEDIO SACELLI ERECTAE.

**D**E cruce pendentem mortalis respice Christum,  
Victima qui pro te sanguinolenta fuit.  
Vnius intactæ matris celsiq; tonantis  
Filius, ut viuas, pertulit ipse necem.

A L I V D.

**N**ON lignum vanus: non mortua viuus adora,  
Sed, cuius parua hic pendet imago, DEVVM.

Inscriptio Crucis, super altare positæ.  
Aspice mortalis, pro te data victimæ talis.  
Ibidem, sub cranio legitur.

Momen

## ARCIS RANZOVV INSCRIPT.

Momento breuis h̄ec, certæq; obnoxia morti  
Vita, quasi fumus, bullula, flosq; perit.  
Cur ergò teneris ( prob stulti ) fidimus annis?  
Cur non Spontē mori discimus ante diem?

## INSCRIPTIO IMAGINIS IOANNIS RANZOVII, Equitis aurati, mortui.

Anno Domini 1565. Ist Herr Johan Ranzow / den 13. Tag  
Decembbris Abgeontrafeyet / Als er den vorigen Tag / Gott  
seligen in dem H E R R N entschaffen / seines Alters 73. Jahr vnd  
ein Monat.

## IMAGO REGIS DANIAE, CHRISTIA- NI III. mortui, sic inscribitur.

C Hristianus Rex Danie nom. tert. piè obijt Anno 1559. 1. Ia-  
nuarij: ut prædictum illi erat in sommo.

## L. DOVSÆ FILII EPIGRAMMA

In Pomarium horti Ranzoviani,

H ic ubi sublimes surgunt Pomaria in auras,  
Nympharum loca sunt quondam habitata choris.

Gratia magna tibi, Ranzovi: tu facis, ut sit  
Iam nemus Aconidum, quod Dryadum antè fuit.

## IN LEPORARIVM ET HORTVM SVVM.

HENRICVS RANZOVIUS, Produx Cimbricus.

A Eripedes ceruos, Damas, leporesq; fugaces  
Hic alit insigni fertilitate locus.

Quā mibi sēpē placet nostrā procul arce morari,  
Quō pedes incedo, quō feror altus equo.

Hic canibus lepores uenor, falcone volucres  
Insequor: aut istas figere glande iuuat.

## IN ARCEM RANZOVV EPIGRAMMATA.

Aut alia id generis Sylvestria ludrica verso:  
Nam sunt hec animo gaudia grata meo.  
Nonnunquam studium vicino impenditur horto,  
Et certo fragiles ordine pono pyros.  
Aut trunci germen superaddens infero malos,  
Aut herbas metis colloco rite suis.  
Sæpe etiam arboreâ subsidens fessus in umbrâ,  
Doctorum egregios, voluo revoluo libros.  
Sic mihi tempus abit, sic tædia fallo senectæ,  
Interea tacito mors subit atra gradu.

Dominus horti ad hospites

**Q**uisquis in hoc animi caussâ spatiabitur horto  
Ad tactum, aut raptum nil sciat esse satum.  
Tantum oculis dulcem & naso dare conuenit escam,  
Nil ultra, Domino me prohibente, licet.

## HORTI RANZOVIANI LEGES, SVB PERSONA IANI BIFRONTIS.

**R**anouianum hortum, qui animi aut voluptatis caussâ  
inuiseritis, hasce leges ante omnia capessunto.  
Anticam modestè ingrediuntor:  
**Q**uò vis quisq; ambulanto:  
**Q**uæ vis quisq; perlustranto.  
**A**t at, hoc dico & edico seriò:  
Hoc moneo & admoneo sedulò:  
**I**n viridario scapum ne confringunto:  
Flores ne decerpunto:  
Semen fructuè ne auferunto:  
Radices ne effundiunto:  
Stirpem pusillam ne attrectanto:  
Arcolas ne conculcanto:  
At, ut verbo dicam multa, hilum ne attingunto,

**Qui**

## IN ARCEM RANZOVV EPIGRAMMATA.

Qui secus faxint, & furaces manus ad tactum, & raptum extulerint, id est, partem aliquam cleperint, rapserint,

Inconsulto hortulano nostro,

Aut verberibus multantor,

Aut prorsus relegantor,

Ad fustitudinas, ferricrepinas insulas,

Vbi viuos homines mortui incurrant boues.

Ollis uero, qui florum, frondium, Pomorum & fructuum  
aliquid petierint,

Pro cuiuscunq; personâ, pro rerum copia,

Pro anni tempore hortulanî largiuntor.

Ardeliones, scurræ frugiperdæ, lurcones procul arcentor:

Seruorum importunorum greges excluduntor:

Si quos tamen ministerij causa voluerint, modestos introducunto.

Alueolis, latrunculis, talis, qui se delocare maluerint, modo  
fiat modicè, nemini vitio dator.

Qui noluerint, conis in Sphaeristerio ludunto.

Sed hoc citra languorem, cis sudorem illud.

Atqui hic, ne baptizatos baptizet Neptunus denuò cauento:

Desuper pluit, & ex insperato, cauento.

His actis Deo trinuni gratias agunto:

Vitamq; & salutem Henrico Ranzouio, eiusdemq; familie uniuers  
precantor.

Ac sic plurimum auento, longum valento.

## EPIGRAMMA.

Solo dante Deo, cuius benedictio ditat,  
Fertilis omnigenis fructibus hortus erit,

## PRIAPVS HORTI CVSTOS.

## IN ARCEM RANZOVV EPIGRAMMATA.

**H**Vnc meus in medium Dominus me condidit hortum,  
Terrorem et tacitis furibus incuterem.  
At tu, quis metuet simulacrum immobile dices?  
An dubitas? aures arrige, pauca loquar:  
Conscia mens scelerum leuis terretur ab umbris  
Conscia mens recti fulmina nulla timet.

## IDE M AD FVRES.

**Q**Visquis in h.ec furtim reptas viridaria nostra  
Tangere furaci poma, cæveto manu.  
Si non obsequeris, faxit Deus omne quod opto,  
Cum malis nostris, ut mala cuncta feras.

## ELEGIA.

Rem memoratu dignam, quæ in Arce RANZO-  
VIA ante aliquot annos, accidit, exponens.

Fidus minister ære multo carior.

**E**st regio, Holsatis Ducibus que subdita paret,  
Vvagria consueto nomine dicta suo.  
Arx fuit hic olim, Neoslagia nomine dicta,  
Sed præsens ætas non meminiſſe potest:  
Hec triplici vallo, triplici circundata fossa,  
Stagnum pisce scatens nec procul inde fuit.  
Ranzouius possessor erat, sed tristia tandem  
Nobilis hic dicta passus in arce fuit.  
Duriter à Slavis obfessus, quicquid habebat  
Deseruit, uite consuluitq; sue.

N. 32

## IN ARCEM RANZOVV EPIGRAMMATA.

Nam desperatâ re, per stagnumq; vadumq;  
Ipse natans, arcem liquit opesq; simul.  
Cætera turba suo misere se dedidit hosti,  
Cuncta autæ cuius diripuere manus.  
Cumq; iuberentur veteres migrare Coloni,  
Inueniebatur spretus in arce puer,  
Qui seruire coco consueverat, is prece multa  
Obtinuit, quoniam corpore parvus erat:  
Ut secum auferret, quantum portare valebat,  
Mox humeris puerum sustulit ipse suis,  
Nempe sui Domini natum, quem pectore fido  
Dilexit, pueri captus amore puer.  
Communis fuit his lusus, commune periculum,  
Communis tandem venit utriq; salus.  
Ranzovijs etiam post annos redditia multos  
Sunt bona, que Slavi diripuere truces,  
Impensisq; nouis arx est constructa nepotum,  
Sed fuit haec alio constituenda loco.  
HENRICVS RANZOV produx modò possidet illam,  
Quæ de Ranzouio nomine nomen habet.

## EPIGRAMMATA. IN ARCEM RANZAVV.

Ad

HENRICVM RANZOVIUM,  
PRODVCEM CIMBRICVM,

Hæredem: οὐ εὔχετο οὐδεπιστα.

Q Væris: Ranzouiana cur in auras.  
Surgant prædia tam repente celsas  
Cultu splendidicre quam fuerunt?  
Et quis Dux operis uti requiri?

Aulam

## IN ARCEM RANZOVV EPIGRAMMATA.

Aulam Iuppiter ac thronos Olympi,  
Sedes Cynthius atq; templa Deli:  
Idam sed Venus extruens adornat:  
Sedes patria, cuiq; que Deorum  
Vnde antiquitus hoc genus tulere  
Produx Ranzouius patrum suorum  
Natalisq; sui locos adornans  
Factis RANZOVIVM celebre reddit.

## A L I V D.

Produx inclyte, floridis iuventus  
Si, stet viribus & uigore pleno,  
Qualis cum Leporis crucem gemebas,  
Tot duras animalculiq; clades,  
Fraudes, insidias pericla vite,  
Pacati, penitusq; non nocentis:  
Nimirum hic Heliconis apta sedes,  
Musis Aonijsq; fons & hortus  
Sacris irriguus scateret vndis:  
Hic & Phabus & artium Minerua,  
Quin hic casta Venus federet Ipsa:  
Sed postquam satis integræ recedunt  
Et vires & amica pepla Musis:  
Quod vite superest Ioui sacremus.

## A L I V D.

Hic locus est celebris quo nobile stemma creatum  
Quo gens Ranzovicis sanguinis orta fuit,  
Nominis hoc etymon noua quo prosapia surgit,  
Indicat antiquis que numeratur Auis.  
Nam natale solum, uirtutis origine, quondam,  
Nobilium suevit constituisse genus.

Non

## IN ARCEM RANZOVV EPIGRAMMATA.

Non tamen hoc paucis deductum constat ab annis  
Tot prodiit, tot Aui, tot vignere Patres.  
Armis quos acuit Mars, quos toga uestiit, & quos  
Effulsiſſe diu fecit Equeſtre decus.  
Ecce ad te rediit patriæ nunc ſedis origo  
O uicedux, Regum, uir uenerande, decus.  
Olim qui genuit fortes, longo ordine, patres,  
Te nunc hæredem uult locus ille ſuum.  
Scilicet hæc ſuperum larga eſt promiſſio Diuum,  
Sicq; uiros pietas intemerata beat.  
Viue igitur, Venerande ſenex, neq; conde ſepulcro  
Lumina, ni uideas Nestoris ante dies,  
Teq; iuuent patres, ſeries te longa Neputum,  
Quotidianie hi poterunt quos memerare lares.  
Te ſiluae patriæ, te ſtagna ſonantia circum  
Delecent longo tempore, Diue ſenex.  
At plenus uitâ quando tua lumina claudis,  
Numinis eternum ſit locus ante thronum  
Siſ igitur Columen Muſis dum uiuis honestis  
Post tibi dent uates ſe cula longa, uale.

## E T E R I C A.

Quando hæreditaria inclyti RANZO VII posſes-  
ſio ad Generofum ac Magnificum Dominum produ-  
cem peruererit, ædificatumq; ab eo fuerit.

Conſecrat h̄c ſuperis Vera ex pletate ſacellum  
RanzoVIVs, Longæ posteritat̄ bonos.

Annus emplo-  
nis  
1590.

## Alterum.

ArCem hanC exſtrvxit Ranzoæ GLoria gentis  
HenrICVs: gentis gloria CLara ſuæ.

Annus expta-  
edificationis  
1598.

D 5

Ter-

## Tertium.

Annus finitæ  
ædificationis  
1594.

EXpertVS proAVIS hanC arCem ConfeCrat Heros,  
VIVere qVos Longa posteritate CVpli.

## In Henricum Ranzouium,

C Vm tibi vitalis præberet luminis auras  
Patria, Ranzoi, tum tua dicta parens.  
At nunc, dum pulcris exornas arcibus illam,  
Restituens veteres, ædificansq; nouas,  
Quisnam te patriæ column, uel iudice Momo,  
Et patriæ uerum deneget esse patrem?

Petrus Lindebergius.



A N N O

M. D. XCV.

